

510. Barometra usuveniunt ad mensurandas altitudines montium, puteorumque profunditates.

511. Pari methodo altitudo integrae Atmosphaerae determinari facile posset; sed quum ob elasticitatem ubivis aequae densus aër esse nequeat, (482.) multo major fit Atmosphaerae altitudo oportet, quam qualem, calculi leges servando, tribuere ipsi possumus.

512. Aëris elasticitati pariter ut causae tribuendum est tonitru, imbresque vehementes, qui regulariter illud comitantur.

513. Graviore aëre nubes elevantur, leviore descendunt & in pluviam solvuntur.

514. Ob aëris resistantiam pluvia non minus ac aqua fontium aut quocunque modo ex alto cadens guttatim descendit.

## De Aëris Motu Vndulatorio, ubi de Sono.

515. **E**X compressione & dilatatione aëris reciproca oritur in ipso ex agitatione quacunque motus analogus cum motu undarum (439. seqq.); qui & abhinc *aëris unda* vocatur.

516. Erit itaque motus undarum aëris ex ipsius natura motus sphaerae sese expandentis.